

§ 4. n. 99 et 100. ubi ostensum, quod ex pluribus probationibus imperfectis constituitur una perfecta, juxta prudens arbitrium iudicis.

299. *Idem declaratur exemplis. Possessio, jurisdictio, et similia, possunt probari per testes singulares singularitate adminiculativa.* — Declaratur eadem conclusio exemplis. Sic loquendo imprimis de probatione actus continui et successivi, tunc testes vel in tempore, vel in loco discordes non censentur singulares, sed probant. Ita Glossa notabilis can. *Nihilominus* 3. q. 9. ubi distinguendo inter actus momentaneos, v. g. homicidium alicujus, quod non nisi semel committitur, et inter actus successivos; ultro quidem concedit, quod diversitas in loco, aut tempore, circa actus momentaneos contingens, tollat fidem testibus, et in eisdem inducat singularitatem: secus tamen esse dicendum de actibus successivis, notat sequentibus verbis: « Si tamen aliquem actum continuum viderent aliqui, licet diversis horis, videtur, quod testimonium teneret: ut si successive in uno foramine viderunt aliquos fornicari; vel si aliqui volunt testari, quod aliquis excommunicatus celebravit, et unus audivit finem missæ, alter principium, hoc casu concedo eos bene testari de una re propter continuationem actus, sicut propter continuationem possessionis una dicitur præscriptio, licet sit facta a diversis personis. » 16. q. 3. § *Potest*. Hactenus Glossa loc. cit. quam sequitur Farinacius d. quæst. 64. n. 87. 90. et 91. allegans plurimos alios. Accedit ratio, quia, cum actus ille sit successivus, testes ejusmodi non videntur deponere super diversis actibus, sed super uno tantum; prout argumentatur Mascardus *de Probat.* concl. 65. n. 2. post Glossam loc. cit. Bartolum in l. *Quærebatur*. ff. *de Re milit.*; Baldum l. *Testium*. c. *de Testib.* et alios.

300. *Idem declaratur exemplis. Possessio, jurisdictio, et similia, possunt probari per testes singulares singularitate adminiculativa.* — Aliud exemplum de actu quopiam generico ponit Glossa fin. in l. *Ob carmen*. ff. *de Testib.* ubi inquit: « Si dicam, quod possederim, et inducam plures, quorum unus dicat, quod viderit me possidere per annum, alius per alterum, et sic de cæteris, eorum tenet testimonium: quia hoc solum quæritur, an possederim, quod omnes testes dicunt; non autem est quæstio, an ista vel illa die possederim. » Hæc Glossa: quam communiter

servari in judiciis, refert Farinacius cit. quæst. 64. n. 78. et 171. et 172. allegans plurimos alios: quamvis in hoc posteriori loco recte notet, datam doctrinam solummodo procedere, quando agitur de probando possessione in genere absque limitatione certi temporis; secus, quando agitur de probanda possessione in specie, ac pro tali tempore: quia tunc singularitas in tempore tolleret fidem testibus, sicut innuit Glossa loc. cit. et sequuntur alii.

301. *Jura indistincte dicentia, quod testes singulares non probent, procedunt in testibus, singularibus singularitate obstativa, et diversificativa, non adminiculativa.* — Nec obstant jura n. 290. allegata, et indistincte dicentia, quod testes singulares non probent. Resp. enim, istud indubitate quidem procedere in testibus singularibus singularitate obstativa, eo quod fidem sibi mutuo detrahant propter contrarietatem, et repugnantiam, dolumque præsumptum, quem continet: simulque procedere in testibus singularibus singularitate diversificativa, qui licet aliquam semiplenam probationem faciant (dummodo inter eos sit unus testis omni exceptione major) quia tamen singuli testantur de diversis actibus, non plus probant mille, quam unus; ut notat Arnaldus Albertinus cit. repetit. c. *Quoniam*. n. 66 et 68. Secus tamen est dicendum de testibus singularibus singularitate adminiculativa, ac loquendo de actu generico, continuo seu successivo, ob rationes in conclusione allatas; et suadet multiplex auctoritas doctorum.

302. *Proponitur, et solvitur instantia ex c. Cum causam de Election.* — Quod si urgeas. In c. *Licet causam*. § *Quamquam*. *de Probat.* testes singulares Faventinorum non probant, licet fuerint inducti generatim, et absque aliqua temporis determinatione, super usu jurisdictione; ergo nulla responsio. Ob hunc textum, qui prima facie videtur fortiter stringere, Jason in l. *repetit.* l. *Admonendi*. n. 256. ff. *de Jurejur.* tandem in contrariam abivit sententiam. Idem tradit Baldus in d. c. *Cum causam*. n. 11. *de Probat.* asserens esse « notatu dignum, quod in probatione actus generalis, puta jurisdictionis, testes singulares nihil probant; textus est hic expressus melius, quam reperitur alibi. » Hæc ille. Eidem contrariæ sententiæ adhæret Albericus in l. *Ob carmen*. § fin. n. 7. ff. *de Testib.* et nonnulli alii, apud Farinacium, ubi supra, n. 163. citati.

303. *Proponitur, et solvitur instantia ex c. Cum causam de Election.* — Verum, quod singularitas testium tunc non obsit, quando agitur de probando aliquid in genere, ut possessionem, jurisdictionem, et similia; ac proinde probetur possessio, si unus testis dicat, quod vidit arari, alter seminari, alius messes colligi, alius arbores putari: in hoc exemplo tenet Mascardus *de Probat.* concl. 1205. n. 24. et 15. et Farinacius d. quæst. 64. n. 164. allegans alios, qui attestantur de communi; et subjungens, quod ita fuerit unanimiter conclusum per Rotam Romanam, uti testatur Cæsar de Grassis decis. 78. n. 10. Caputaquens. decis. 269. n. 1 et 2. part. III. Neque urget cit. c. *Licet causam*. *de Probat.* Quia, uti liquet ex contextu, ibi Faventini ceciderunt causa, non præcise, quia testes ipsorum fuerunt singulares (nam, ut patet ex littera, sex istorum remanserant concordēs, qui utique suffecissent ad legitimum testimonium) sed quia contraria pars justum titulum, et longe potiores probationes allegaverat.

304. *Factum particulare, seu actum specialem et individuum, non probant testes singulares singularitate adminiculativa.* — Resp. II. Loquendo de facto aliquo particulari, seu actu speciali et individuo, tunc testes singulares etiam singularitate adminiculativa plene non probant, licet faciant magnum adminiculum, ac præsumptionem. Ita Glossa in cit. can. *Nihilominus* 3. q. 9; Felinus d. c. *Licet ex quadam*. n. 2. h. t.; Card. Tuschus litt. T. concl. 265, n. 58; Arnald. Albertinus cit. repetit. c. *Quoniam*. n. 56. *de Hæretic.*; Jason in repetit. l. *Admonendi*. n. 256. ff. *de Jurejur.*; Farinacius cit. quæst. 64. n. 113. et 126. allegans plurimos alios; idque exemplificans in casu, quo unus testis deponit de veritate, v. g. mutuatae, seu numeratae Titio pecuniæ, et alter deponit de confessione, qua Titius fatebatur, mutuatae seu numeratae sibi fuisse pecuniam: quia (inquit) veritas est, quod ex eorum dictis non inducatur plena, et omnimoda probatio ad condemnandum sufficiens. Atque istud ad minimum convincunt jura n. 290. allegata; et præsertim casus in c. *Cum dilectus*. 32. *de Election.* Accedit ratio, quia ræra tales testes sunt singulares; cum deponant de factis omnino diversis; puta, unus de numeratione pecuniæ, alter vero de confessione dictæ numerationis sibi factæ: sicque neuter habet contes- tem circa idem factum particulare.

305. *Etsi magna exinde consurgat præsumptio, et aliquando plus quam semiplena probatio.* — Quia tamen depositio testis de veritate numeratae pecuniæ testificantis facit semiplenam probationem, quæ adjuvatur seu adminiculatur per depositionem alterius de audita illa confessione, v. g. Titii: hinc magna exinde consurgit præsumptio, seu adminiculum; et aliquando plus quam semiplena probatio, secundum quod animus iudicis movetur plus vel minus ad præsumendum, seu indubitanter credendum, arg. l. II. § *Ætas*. ff. *de Excusat. tutor.* juncta Glossa ibid. § *Legitimis*, allegante inter alia illud vulgatum: « Quæ non prosunt singula, multa juvant. »

306. *Unde iudex potest moveri ad ferendum juramentum suppletorium. Imo quandoque ad indubitanter credendum, et ferendam sententiam.* — Infertur proinde, quod ex ejusmodi testibus singularibus possit iudex moveri ad deferendum juramentum suppletorium. Farinacius cit. quæst. 64. n. 52 et n. 113. Mascardus *de Probat.* concl. 938. n. 20. in fin. et alii. Imo et quandoque, concurrentibus aliis sufficientibus adminiculis, ad indubitanter credendum; adeo, ut exinde in certis casibus, puta, qui sunt difficilius probationis, seu minoris præjudicii, aut hujusmodi, etiam procedere possit ad ferendam sententiam. Nam quod duæ semiplenæ probationes, quæ tendunt ad eandem finem, unam plenam facere possint, jam supra tit. præc. § 4. n. 98 et seqq. dictum fuit.

307. *In causis criminalibus non probant testes singulares singularitate adminiculativa, etsi causent præsumptionem contra reum, et aperiant viam ad specialiter inquirendum.* — Quæritur IV. Utrum testes singulares singularitate adminiculativa probent in causis criminalibus? Resp. I. Etsi in causis criminalibus criminaliter motis ejusmodi testes singulares, ut puta de diversis actibus, vel diversis indicis commissi sceleris deponentes, plene non probent in ordine ad condemnandum poena ordinaria: nihilominus testes illi cæteroquin habiles causant magnam præsumptionem contra reum, ita ut aperiat via iudici ad inquirendum specialiter contra ipsum; et insuper constituunt indicium sufficiens ad torturam, imo et quandoque sufficiunt ad inferendam poenam extraordinariam. Ita Alexander consil. 77. n. 10 et 11. vol. I. asserens, quod testes singulares pro parte accusatoris adducti, non

probenz quoad plenam probationem, sed quoad indicium una præsumptio juvet alteram; ut per Bartolum in l. fin. ff. de Quæstion.; Sigism. Scaccia de Judiciis, lib. II. c. 9. n. 367. et seqq.; Layman lib. III. sect. 5. tract. VI. cap. IV. n. 5. in fin.; Julius Clarus in Practic. crimin. lib. V. § fin. quæst. 53. n. 18; Farinacius in Praxi crimin. lib. I. quæst. 37. n. 34. et 35. ubi istud intelligit de testibus singularibus, qui alioquin sunt omni exceptione majores, simulque deponunt super indicibus proximis delicti; et alii, quos citat.

308. *Et hujus ratio.* — Ratio prioris partis est, quia in criminalibus ad condemnandum requiruntur probationes indubitatae, l. *Sciant cuncti*. C. de Probat. et absque ulla suspicionem, vel exceptionem manifesta, can. *Testes*. 2. q. 7. et cap. I. de Exceptionem. Atque tales non sunt ejusmodi testes singulares, utpote adhuc de diversis factis particularibus deponentes, et in suis dictis contestem non habentes; ergo, altera pars patet ex dictis supra tit. XVIII. de Confessis. § 4. n. 107. quamvis etiam impræsentiarum arbitrio iudicis multum sit relinquendum, juxta sæpius jam dicta.

309. *Testes singulares singularitate adminiculativa probare usuram, tenent non pauci doctores.* — Resp. II. Etsi in probatione usuræ; seu quod quis usurarius manifestus, ac proinde privandus sepultura ecclesiastica, et aliter puniendus, juxta cap. ult. de Usuris. in 6. non pauci doctores velint, sufficere testes singulares singularitate adminiculativa, seu qui deponunt de diversis actibus usurariis particularibus: puta, quod unus testis dicat, se vidisse Titium sub usuris mutuantem Caio, et alius asserat, eum taliter mutuasse Sempronio: prout vult Abbas consil. 77. n. 1 et 2. part. II; Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. III. n. 5. §. *Utrum quoties*, et plures alii, tum ab isto, tum a Farinacio de *Testib.* quæst. 64. n. 195. pro hac sententia allegati: quia (inquiunt) hic agitur de probando aliquo generali, habente in se plura particularia; sicque non possunt dici testes singulares, cum ex dictis ipsorum resultet totum.

310. *Opposita sententia videtur tenenda.* — Nihilominus opposita sententia, seu ejusmodi testes singulares non plene probare, quod quis sit usurarius manifestus, ac puniendus, ut supra, videtur tenenda, per rationem n. 308. allatam: quia videlicet in criminali-

bus requiruntur testes omni exceptione majores. Atque ita hanc opinionem tenet, et communem, ac veterem appellat Sigism. Scaccia lib. II. de *Judic.* cap. IX n. 376. et seqq. et Farinacius d. quæst. 64. n. 196. et 200. citans plurimos alios; et pro concordia subjungens, quod testes singulares « probant, non usuram, sed infamiam usuræ, etc. Quæ quidem infamia non sufficit ad sententiandum, et condemnandum de usuræ, sed tantummodo ad repellendum a testimonio, vel ad diminuendum ei de fide. » Hæc ille.

311. *Hoc ipsum videtur dicendum de probatione hæresis.* — Atque hoc ipsum (servata proportione) dicendum videtur de probatione hæresis: prout fusius ostendit Farinacius d. quæst. 64. n. 201 et 202. ac seqq. allegando in utramque partem diversas doctorum sententias, et auctoritates: ubi etiam in progressu de aliis criminalibus sigillatim tractat, qui idcirco consuli poterit.

312. *Ad probationem sollicitationis poenitentium in confessionali admittuntur testes singulares, sed non probant sine aliis præsumptionibus et indicibus.* — Juvat huc pro majori præmissorum declarationem referre constitutionem 34. Gregorii XV. *Universi Domini* (quæ habetur tom. III. *Bullarii Romani*) in qua, ne ob defectum probationum illud tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum delictum, videlicet sollicitationis poenitentium in confessionali ad inhonesta, maneat impunitum, § 5. expresse quidem admittuntur testes singulares; sed ita, ut non probent, nisi concurrentibus aliis præsumptionibus et indicibus, arbitrio iudicis dijudicandis, ibi: « Cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicibus, et aliis adminiculis, delictum probatum esse judicandi, » etc. Unde, quod scelus istud, licet sit nefandum, immaneque sacrilegium, et difficillimæ probationis, non probetur sufficienter per testes singulares, puta, per plures fœminas, quæ singillatim deponunt, se a tali confessario seorsim fuisse sollicitatas ad inhonesta, nisi concurrant alia indicia et præsumptiones: merito docet Jacob Pignatellus tom. I. consult. 105. n. 2. et seqq. Idem igitur in simili dicendum de probatione aliorum criminum, haud obstante, quod ad ipsorum probationem etiam admittantur testes singulares, arg. l. *Non possunt*. ff. de *Legib.* cum concordantiis.

§ X.

DE TESTIBUS CONTRARIIS, VARIANTIBUS, ET VACILLANTIBUS.

313 et 314. — *Testis contrarius et testis varius, se varians, quis?* — Quæritur I. Quis dicatur testis contrarius, varius, et vacillans? Resp. I. Testis contrarius, dicitur, qui deponit duo, vel plura inter se repugnantia: ut si quis interceptus per diversas interrogationes sibi facias talia asserat, quæ prorsus inter se repugnant, et simul esse non possunt. Hoc ipsum clarius videre licet in distinctis testibus, hinc inde ex utraque parte adductis: nam non raro directe contraria, et mutuo repugnantia deponere reperiuntur. Quæ quidem testium contrarietas potest inveniri in omnibus propemodum materiis, ac discurrendo per singula decem prædicamenta; prout de singularitate testium, superius n. 284. jam dictum fuit.

Resp. II. Testis varius, seu varians censeatur, qui varia loquitur; ut inquit Baldus in c. *Præterea*. n. 7. de *Testib. cogend.* Hoc est, qui non stat firmus in dicto suo: puta, quia in uno iudicio sic, in altero autem, sive iterum examinatus, diverso modo loquitur super eodem facto. Intellige, quando quis primo dicit aliquid, et postea dicit contrarium ejus nulla variationis causa assignata; ut inquit Joan. Andreas in d. c. *Præterea*. n. 11. de *Testib. cogend.* Alioquin enim, si causam suæ variationis daret, potius dictum suum corrigere, quam variare censeretur.

315. *Quomodo differant?* — Differt autem testis varius a contrario: quia hic in eodem examine dicit contraria, seu inter se repugnantia; testis varius autem successive, seu in diversis instantiis, aut examinibus. Quamquam iidem in l. *Qui falso*. ff. h. t. et alibi, inter se etiam æquiparentur. Nisi cum Farinacio quæst. 66. de *Testibus*, n. 8. et 9. dicere velis, quod ille testis proprie dicatur variare, qui non deponit contraria, sed qui diverso modo dicit: ut si primo dixerit, « Titium emisse domum Sempronii; » postea vero, seu in alio examine afferat, « Titium emisse domum Sempronii una cum uxore sua. »

316. *Testis vacillans, quis?* — Resp. III. Testis vacillans dicitur, qui timendo, titubando, vel dubitando testimonium dicit. Ita Joan. Andreas c. *Præterea*, n. 11. de *Testib. cogend.* dicens, quod testis vacillans sit, qui dubitando, et timendo loquitur. Farinacius

d. quæst. 66. n. 10. citans alios. Unde, ut testis censeatur vacillans, sufficit, quod dubitando, timendo, aut titubando deponat, etsi non loquatur contraria. Concordat Paris de Puteo t. VII. *Tractatum*, tract. de *Syndicatu*, circa fin. § *Viro de judiciis*. n. 8. ubi inquit, quod tunc dicitur quis vacillare in testimonio, quando deponit dictum suum dubitando, vel tremendo, vel sudando, præ nimio timore loquendo.

317. *Si deponit vere dubitando fidem non meretur.* — Et quidem testis vacillans, quando deponit vere dubitando, fidem non meretur: quia hoc ipso, quod vere dubitet, in neutram inclinatur partem; sicque incertum est ejus testimonium: nec est ratio, cur uni potius, quam alteri parti assensus præbeatur, ac proinde tollitur fides ejus in totum. Joan. Andreas cit. c. *Præterea*, n. 11. de *Testib. cogend.*; Farinacius loc. cit. n. 16. et alii. Unde Innocentius in d. c. *Præterea*: et post ipsum Baldus ibid. n. 6. inquit, quod qui dubitando loquitur, vacillat scilicet quoad fidem ei adhibendam, id est, vacillat fides ejus.

318. *Et quid, si deponat titubando, timendo, sudando?* — Quod si vero sit tantummodo vacillans, quatenus deponit titubando, timendo, sive sudando, tunc probatio ejus non tollitur in totum, bene tamen de fide ejus diminuitur. Farinacius d. quæst. 66. n. 15. et 16. post Alberic. in l. *Qui falso*, n. 5. ff. de *Testib.* et alios. Et merito, quia non obstante tali timore, aut sudore, vel pallore vultus, qui vel ex periculi magnitudine, vel ob cordis debilitatem, aut pusillanimitatem sæpius oriri solet, testis duntaxat titubando vacillans vere in favorem unius partis, et quidem sub juramenti religione deponit; sicque non destituitur omni fide, sed meretur aliquam, majorem tamen, vel minorem, pro qualitate suæ vacillationis, formidinis, seu palloris, aliarumque circumstantiarum, prudenti iudicis arbitrio dimetiendam.

319. *Judex debet vacillationem testis, et causam ipsius in actis ponere.* — Et hinc notat Jacob. Cognacenus in repetit. c. *Quoniam contra*. n. 59. de *Probat.* et Paris. de Puteo cit. §. *Viso de judiciis*, n. 8. quod tunc iudex debeat ejusmodi vacillationem testis, et causam ipsius in actis ponere, et per quem modum vacillavit; debeatque ipsam vacillationem scribi facere in actis ipso deponente intelligente, et tunc quando deponit, juxta l. *De minore*. § *Tormenta*. ff. de *Quæstion.*; Inno-